

## III. Revisionen.

291

ex odio enim intueri non poterat, at ex simulatione  
debebat. In obliquum ergo aspectum contrariae  
ipsum rationes adducebant, quem aspectum ipsamet  
excusat, falsam scilicet causam adducens.

Pudeat te intueri ex adverso,  
Polymnestor, in hujusmodi constituta malis.

Ad secundum par differentiarum transeamus.  
*Explicationem* oculi ego voco, cum oculus, ut dicit  
Quintilianus, hilaritate enitescit: *contrahi* vero dico,  
cum tristitia quoddam ducit nubilum. Contractio-  
nem autem & retractionem differenter statuo. In  
retractione in profundum recedit repraesentatio fer-  
me animi; in contractione cogitur in semetipsum  
animus. Inter has contrarias dispositiones, est me-  
dius constantiae habitus, cum nempe oculus neque  
hiscit, neque cogitur. In hoc gradu gravitas aspe-  
ctus reponitur.

Alia differentia erat ex recto aspectu, aut obli-  
quo. Aspectus obliquus, qui & limus nuncupatur,  
vel limis fieri oculis dicitur, ex cupiditate nascitur,  
cum vel pudore impeditur, vel pudorem praeten-  
dit. Femellae hoc aspectu amatores plerumque ir-  
retiant. Nos vulgo *oculo cauto* respicere dicimus.  
At invisos etiam homines, quibusque irascimur ita  
quoque interdum respicimus: Dido penes Virgilium,  
seu Didonis umbra Aeneam eo modo intuebatur.

Talibus Aeneas ardentem, & torva tuentem  
Lenibat dictis animum, lacrymasque ciebat:

Illa Solo fixos oculos averfa tenebat,

Et torvus aspectus plerumque ex torvo intuitu di-  
citur,

Quar.